

PAX  
¶

101

**LUDUS  
LITURGICO-SCENICUS**

IN HONOREM

**Sancti P. N. Benedicti**

ET

**Sanctae Sororis eius Scholasticae**

INTER SOLEMNES FESTIVITATES

**DEDICATI SPLENDIDIORIS HYPOGEI**

DIE VII MAII MCMXIII

FILIALI DEVOTOQUE SENSU

EXHIBITUS



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX  
(IUVENUM ARTIFICUM A S. JOSEPH)

1913

†  
PAX  
¶

LUDUS  
LITURGICO-SCENICUS

IN HONOREM

Sancti P. N. Benedicti

ET

Sanctae Sororis eius Scholasticae

INTER SOLEMNES FESTIVITATES

DEDICATI SPLENDIDIORIS HYPOGEI

DIE VII MAII MCMXIII

FILIALI DEVOTOQUE SENSU

EXHIBITUS



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX  
(IUVENUM ARTIFICUM A. S. JOSEPHI)

—  
1913

PROLOGUS  
SEU  
FESTIVA SALUTATIO

---

**E**XULTAT haec Casinensis familia de tam inlyta corona Praesulum, qui in sacrum montem undique congressi, almi Patris Benedicti germanaeque sororis Scholasticae hypogaeum splendidius affulgens ritu congruo dicarunt. Salve, Eminentissime Princeps, augusti Collegii paeclarum ornamentum, cuius ausculantes Purpuram, ipsum inter nos amatissimum Pium veluti praesentem veneramur. Salvete, Abbes illustrissimi. Ordinis nostri decus et fulcrum, in quibus universam Patriarchae familiam laetabundi salutamus. Quis iam sermo sat facundus, aut quis sat suavis cantus tam paeclarum diem, tam eximium coetum non indigne celebrabit? Imparibus suppleant illi quorum amore coniungimur, in quorum laudem adunamur. Ipsa Benedicti et Scholasticae exempla, coeliasti coronata triumpho, suo nostram fulgore festivitatem collustrent, ut in omnibus glorificetur Deus!

## SCENA INTRODUCTORIA

---

(*S. Gregorio Magno vitam S. Benedicti conscripturo assident  
S. Patriarchae discipuli Constantinus, Valentinianus, Sim-  
plicius et Honoratus.*)

S. GREGORIUS

Dei servi Benedicti vitam conscribendam assumpsi, ut tanti Parentis filiis exemplum esset et decus. Vos igitur, Constantine, Valentiniane, Simplici, Honorate, beato illius usi commercio, inspirate calatum: qualis fuerit Benedictus, quid egerit, quam dulcem cum sorore Scholastica consuetudinem habuerit, quam gloriose fine ambo quieverint, dicite mihi. Ecce ego vos avida mente ausculto.

CONSTANTINUS (*surgit*)

Fuit vir vitae venerabilis, gratia Benedictus et nomine, qui ab ipso pueritiae suae tempore cor gerens senile, aetatem moribus transiens, nulli animum voluptati dedit. (*sedet*)

VALENTINIANUS (*surgit*)

Beatus vir Benedictus plus appetit mala mundi perpeti quam laudes, pro Deo laboribus fatigari, quam vitae huius favoribus extolli. (*sedet*)

SIMPLICIUS (*surgit*)

Gloriosus confessor Domini vitam angelicam gerens in terris, speculum bonorum operum factus est mundo, et ideo cum Christo iam sine fine gaudet in coelis. (*sedet*)

HONORATUS (*surgit*)

Erat vir Domini Benedictus vultu placido, moribus decoratus angelicis, tantaque circa eum claritas excreverat, ut in terris positus in coelis habitaret. (*sedet*)

S. GREGORIUS

Tam praeclaras laudes consona voce eructatis, ut plane inde coniiciam, virum Dei Benedictum omnium iustorum spiritu plenum fuisse.

OMNES QUATUOR

Ipse intercedat pro cunctis monasticae professionis!

S. GREGORIUS

Pergite, quaequo: ab ortu ad occasum tanti luminaris mihi describite cursum.

CONSTANTINUS

Adhuc puer, Urbis contagiem abhorruit, et per tres annos soli Deo vivens in asperrimo latuit specu. Iamque Sublacis plura monasteria sancte regebat, quando pravorum inde invidia pulsus, superno lumine duce, Casinum montem condescendit.

HONORATUS

Claustrali simul et apostolico zelo flagrans, deiectis idolorum fanis, universam regionem Christo lucratus est, dum, coenobitico generi, parens simul ac doctor, exemplis et monitis, quin et Regula scripta perfectionis viam monstravit.

S. GRÉGORIUS

Huius codicis fama Romam brevi pervenit, quippe discretione praecipui, sermone luculentri.

VALENTINIANUS

Tanti servi virtutem Deus mire clarificavit. Et tamen cuius voci nec ipsa mors resistere poterat, muliebri fletu superatus est. Germana enim eius soror Scholastica nolentem, interpolato miraculo, apud se in Dei laudibus pernoctare coëgit.

S. GREGORIUS

Ecquid mirum, tunc plus potuisse quae plus amavit?

SIMPLICIUS

Amborum exitus aequali splendore claruit. Scholasticae animam, in specie columbae, coelum penetrare ipse Benedictus conspexit; qui brevi post, per viam stratam palliis supernam visus est ingredi gloriam.

CONSTANTINUS

Quos una dies in lucem edidit, unus amor Deo coniunxit, eorum et exuvias tumulus unus exceptit.

S. GREGORIUS

O venerandum Benedicti et Scholasticae hypogaeum, tam castis pignoribus clarum! Beati, qui te condigno cultu decorabunt! Beati, qui saeculorum decursu illuc undique congressi, filiale fraternalque fervorem accendent!

SEQUENTIA

*S. Gregorius cum quatuor monachis et chorus  
alternis vocibus cantant.*

Ad mirandum et laudandum — Domini magnalia  
Nos invitat atque citat — Patris nostri gloria.  
Tu es dictus Benedictus — nomine plus gratia,  
Quem instruxit et perduxit — ad se Sapientia.  
Et cunctorum iam iustorum — habens in te spiritum,  
Ut sequaris, assequaris — Christum, mutans habitum,  
Domum patris, solum matris — Res relinquas patrias,  
Sciens vere dissidere — Christum et divitias.  
Fugis mundum ut immundum, — mundi fugis opera;  
Eremita sis, ut vita — vivas magis aspera.  
Rex benigne, fac me digne — Benedictum colere,  
Ut indignus coeli pignus — laetus possim capere. Amen.

## ACTUS I

---

### SCENA I.

*Monachorum auditur paulatim accedere chorus  
psalmum decantans:*

Cantate Domino canticum novum; cantate Domino omnis terra ; etc.

*S. Benedictus, oculis ad sacrum Casini montem allatis,  
reverenti voce cum Psalle quaerit:*

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescat in monte sancto tuo?

*Angelicus chorus de abscondito loco respondet:*

Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam.

### OMNES SIMUL

Qui facit haec, non movebitur in aeternum.

*S. Benedictus et discipuli, viso Apollinis signo, contra idolorum cultum psalmum intonant:*

Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam ; etc.

S. BENEDICTUS, *elata voce*:

Exurgat Deus et dissipentur inimici eius!

*Cum strepitu audiuntur daemones conclamantes:*

Quid nobis et tibi, Benedicte? Maledicte, non Benedicte!  
Ecquid venisti vexare nos?

S. BENEDICTUS

Per signum Crucis.

OMNES

De inimicis nostris libera nos, Deus noster!

(*Corruunt Apollinis Venerisque signa. Inter daemonum ululatus idolorum sacerdotes cum proselytis suis aufugiunt.*)

ANGELI

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

MONACHI

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

OMNES SIMUL

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

S. BENEDICTUS

Exaudi, Christe.

OMNES SIMUL

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

S. BENEDICTUS,

*Crucifixi imaginem victoriose attollens,  
intonat hymnum*

Vexilla Regis prodeunt.

CHORUS *prosequens*

Fulget Crucis mysterium,  
Quo carne carnis Conditor  
Suspensus est patibulo; etc.

S. BENEDICTUS, *signo Crucis facto:*

Pax Christi super has terras!

OMNES

Amen!

## SCENA II.

*Auditur monachorum chorus Primae officium  
in oratorio cantans.*

Iam lucis orto sidere  
Deum precemur supplices,  
Ut in diurnis actibus  
Nos servet a nocentibus; etc.

*E choro egressi, monachi S. Benedictum circumdant,  
qui eos ita alloquitur:*

Fratres, otiositas inimica est animae. Bonorum igitur operum instrumenta quavis hora diei gestare debemus. Orate et laborate, et sic adimplebitis legem Christi. Distinctis itaque turmis in manuum opera exite, usque dum campanulae signum ad princeps inde vos avocet opus Dei.

*(Eis benedicit)*

Respice in servos tuos, Domine, et in opera tua, et dirige filios eorum.

*CHORUS respondens:*

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.

*Dum monachi in opera exeunt, rustici quidam  
accedunt curiosius, ad quos Benedictus:*

Salvete, fratres in Domino.

UNUS RUSTICUS

Et quis est iste Dominus, cuius nomine nos tam urbane  
salutas?

ALIUS

Et quare nos, ignotos tibi, fratres appellas?

S. BENEDICTUS

Dominus ille est unicus Deus verus, Creator coeli et ter-  
rae, cuius Filius Unigenitus nos sanguine redemit, Christus  
et Dominus ipse noster, in quo omnes fratres sumus.

TERTIUS RUSTICUS

Nonne in Apollinem, huius montis dominum, blasphemat  
iste?

*Audiuntur clamorosi lamentus rustici cuiusdam emortuum fi-  
lium plangentis, et S. Benedictum compellantis:*

PATER

Benedicte! Benedicte! Ubi es, o vir Dei Benedicte? Redde  
mihi filium!

S. BENEDICTUS (*cum dolorosa admiratione*)

Quid dicis frater? Num tuum ego filium abstuli?

PATER

Heu! tenellus mortus est! Sed tu, per virtutem omnipo-  
tentis Dei quem praedicas, per Crucem Christi quem colis,  
redde corpusculo vitam!

*Clamoribus insolitis a labore excitati,  
monachi turmatim accurrunt.*

S. BENEDICTUS (*summa humilitate*)

Recedite, fratres! frater mi, recede! haec nostra non sunt,  
sed Apostolorum.

PATER

Utique sunt tua! Per Deum tuum iuro, me non disces-  
surum hinc, nisi filium meū suscitaveris.

S. BENEDICTUS (*misericordia motus*)

Ubinam est ille filius quem plangis?

PATER

Inanime corpusculum ad ianuam deposui. Veni, veni! noli  
tardare! Redde mihi filium!

TERTIUS RUSTICUS

Si per te infantulus redditur vitae, deorum meorum cul-  
tum abiiciam, tuumque Deum ac Christum proni adorabimus  
omnes.

RUSTICI SIMUL

Omnes, et nostri omnes nobiscum.

*Omnes versus ianuam monasterii incedunt.*

SCENA III.

(Cernitur ad ianuam monasterii iacens emortui pueri corpus,  
quod circumdant S. Benedictus, monachi et rustici.)

PATER (*in corpusculum cernuus*)

O dulcem mihi filium! O clausa lumina! O vultum examinem!

(*ad Benedictum conversus*)

O tu, qui Deum tuum orando omnia potes, redde, redde,  
mihi filium!

S. BENEDICTUS

Credisne in Deum omnipotentem, Creatorem coeli et terrae?

PATER

Credo.

S. BENEDICTUS

Credisne in Christum Iesum, Filium Dei ac nostrum Redemptorem?

PATER

Credo.

S. BENEDICTUS (*ad monachos conversus*)

Orate mecum, fratres, ut ipse Deus huius hominis fidem exaudiens, ipse sibi laudem et gloriam tribuere dignetur.

CHORUS

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam!

PATER

Redde mihi filium!

S. BENEDICTUS (*extensis brachiis*)

O Deus omnipotens, qui iam in antiqua lege per Prophetarum ministerium mortuos ad vitam revocasti;

CHORUS

Non nobis, Domine!

S. BENEDICTUS

O Deus omnipotens, qui Iesu Christo omnem potestatem in mortem et vitam dedisti;

CHORUS

Non nobis, Domine!

PATER

Redde mihi filium meum!

S. BENEDICTUS

O Christe Redemptor, qui Apostolos tuos tuae potestatis heredes constituisti!

CHORUS

Non nobis!

PATER

Credo, Domine, credo! redde mihi filium meum!

S. BENEDICTUS (*humiliter et instanter*)

Domine, ne aspicias peccata mea, sed fidem huius hominis, qui suscitari filium suum rogit, et redde in hoc corpusculum animam quam tulisti.

PATER (*dum levis motus in puerulo cernitur*)

O prodigium! Quid cerno? Decipiorne amoris oculis?  
Ecce corpusculum concussione mirifica vidi palpitasse!

CHORUS

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo!

PATER (*exultans et in vivum filium prorumpens*)

Vivit! vivit! O nate dulcis!

BENEDICTUS (*eum retinens*)

Da primum Deo debitas laudes,

PATER

O Christe! gratias tibi dico infinitas.

OMNES RUSTICI SIMUL

In te credimus, o Deus Benedicti! O Christe, omnipotentis  
Dei vere es Filius!

S. BENEDICTUS

Te laudamus Domine omnipotens, qui sedes super Cherubim et Seraphim, quem benedicunt Angeli, Archangeli, et laudant Prophetae et Apostoli.

RUSTICI

Te laudamus Domine orando, qui venisti peccata solvendo.

MONACHI

Te deprecamur magnum Redemptorem, quem Pater misit  
ovium pastorem.

S. BENEDICTUS

Tu es Christus Dominus Salvator, qui de Maria Virgine  
es natus.

OMNES

Quem benedicunt Angeli, Archangeli et laudant Prophetae et Apostoli.

## ACTUS II

---

### SCENA I.

(*In modesta cella ad pedem sacri montis S. Benedictus et S. Scholastica cum aliquibus sociis alterna voce Dei laudes decantant piosque miscent sermones.*)

OMNES

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa Unitas: con-fitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

S. BENEDICTUS

Benedicamus Patrem et Filium.

OMNES

Cum sancto Spiritu.

S. SCHOLASTICA

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! con-cu-piscit et deficit anima mea in atria Domini.

OMNES

Benedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas: con-  
fitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

S. BENEDICTUS

Ubi caritas et amor, Deus ibi est.

S. SCHOLASTICA

Congregavit nos in unum Christi amor.

OMNES

Exultemus et in ipso iucundemur.

S. BENEDICTUS

Timeamus et amemus Deum vivum.

S. SCHOLASTICA

Et ex corde diligamus nos sincero.

OMNES

Ubi caritas et amor, Deus ibi est.

UNUS E MONACHIS (*ad fenestram pergens*)

Pater mi, sol occasum expetit, nonne iam urget redditus?

S. BENEDICTUS (*illico surgens*)

Eamus sane, premit hora: nullam sinit Regula moram.

S. SCHOLASTICA

Eia, māne nobiscum, frater mi!

S. SCHOLASTICAE SOCIAE

Quo satiemur plenissime, quo delectemur maxime tui sermonis dulcedine!

S. BENEDICTUS (*gravi voce*)

Amplius non est manere vobiscum, quoniam advesperascit et inclinata est iam dies, dilecta soror.

S. SCHOLASTICA

Sol iam vergens ad occasum, nonne commendat nostrum vobis hospitium? Nimis enim nobis sermones placent, quos confers de dilectione Domini nostri.

S. BENEDICTUS

Pacem relinqu oibis.

S. SCHOLASTICA (*urgens voce tenerrima*)

Dilecte mi, noli me deserere, ut usque mane, ultima sane vice, loquamur de coelestibus!

S. BENEDICTUS (*affectum gravitati miscens*)

Noli insistere, optima soror: manere extra cellam nullatenus possum, sed vale dicto revertor ad coenobium.

(*Dum exire vult S. Benedictus, S. Scholastica, obiectis vultui manibus, inter lacrymas Deum instantissime orat. Eodem instanti, micant fulgura, strepunt tonitrua, dum imbres cum grandine in torrentem tument.*)

S. SCHOLASTICA (*cum victrice dulcique ironia*)

Egredere, modo frater, egredere si potes, et me dimissa ad monasterium accede!

S. BENEDICTUS (*gravi voce*)

Parcat tibi, soror, omnipotens Deus: quid est quod fecisti?

S. SCHOLASTICA (*simpliciter*)

Ecce te rogavi, et audire me noluisti: rogavi Dominum meum et exaudivit me.

S. BENEDICTUS (*amice cedens*)

Eia, quod Domino placuit, et grate fiat! Loquamur nunc usque mane de coelestibus, per sacra spiritalis vitae colloquia.

S. BENEDICTUS CUM SUIS DISCIPULIS

Maneant in nobis fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.

S. BENEDICTUS

Ubi caritas et amor, Deus ibi est.

OMNES

Simul ergo cum in unum congregamur,

S. SCHOLASTICA

Ne nos mente dividamur caveamus.

S. BENEDICTUS

Cessent iurgia maligna, cessent lites!

S. SCHOLASTICA

Et in medio nostri sit Christus Deus!

OMNES

Ubi caritas et amor, Deus ibi est.

S. BENEDICTUS

Simul quoque cum beatis videamus

S. SCHOLASTICA

Glorianter vultum tuum Christe Deus.

S. BENEDICTUS

Gaudium quod est immensum atque probum,

OMNES

Saecula per infinita saeculorum. Amen.

## SCENA II.

*S. Benedictus in cella sua meditationi vacans, audit de longinquo sponsalem cantum:*

*S. SCHOLASTICA (angelica voce)*

Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi  
propter amorem Domini nostri Iesu Christi, quem vidi, quem  
amavi, in quem credidi, quem dilexi.

*SPONSUS (de recondito coeli spatio)*

Surge, propera, amica mea, columba mea et veni! Iam  
enim hiems transiit, imber abiit et recessit.

*S. SCHOLASTICA*

Quis dabit mihi pennas sicut columbae et volabo et re-  
quiescam?

*His vocibus, quas comitatur insolita lux, S. Benedictus atto-  
nitus atque commotus, assurgit cernitque de monasterio in  
valle germanae sororis animam in columbae specie coelum  
versus evolare; quam ita dulci voce appellat:*

Quo progrederis ut columba, quo progrederis, soror dul-  
cis Scholastica?

O quam suavis et serena superna petis, Virgo carissima  
Christo!

CHORUS ANGELORUM

Veni, veni de Libano, veni, veni de Libano, veni, veni  
coronaberis!

S. BENEDICTUS

Imber abiit et recessit, hiems transiit, audita est vox  
turturis.

Iam olent rosae et lilia, ut rosa fulges inter spinas sine  
spina.

ANGELORUM CHORUS

Veni, veni de Libano, etc.

S. BENEDICTUS

Germanum fratrem trahe post te, mox ut gaudeam Christi  
tecum deliciis.

O quis et mihi dabit pennas, pennas quis dabit et volabo  
et quiescam!

ANGELORUM CHORUS

Veni, veni de Libano, etc.

(*Occurrunt discipuli*)

DUO MONACHI

Ecquid, venerande Pater, tam acute adspicis in coelum?  
Mirarisne aliquid arcani? Undenam iubilans vultus decurren-  
tibus lacrimis madet?

S. BENEDICTUS

Deo mecum agite gratias, filii, et fraterno simul indulgete cordi. En modo vidi dilectae sororis animam de corpore egressam in columbae specie coeli secreta penetrare. Eia, quidam ex vobis absque mora pergent virgineum excepturi corpus, quod inter psalmos huc allatum, in tumulum mihi paratum ipse reponam. Pergite, fratres ! Dominus custodiat exitum vestrum et cum claris exuviis redditum !

*Exeunt monachi cantantes sequentiam :*

Iam noctis umbrae concidunt,  
Dies cupita nascitur,  
Qua Virgini Scholasticae  
Sponsus perennis iungitur.  
Brumae recedit taedium,  
Fugantur imbres nubibus,  
Vernantque campi siderum  
Aeterritatis floribus.  
Amoris auctor evocat,  
Dilecta pennas induit,  
Ardens ad oris oscula  
Columba velox evolat.

### SCENA III.

*Audiuntur monachi cum virginea sarcina psallendo accedentes :*

Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi : in domum  
Domini ibimus. — Stantes erant etc,

*S. Benedictus ad ianuam monasterii stans, extensis brachiis  
sororis exuvias tenera voce compellat.*

Veni, soror mea, columba mea, veni! Dum anima can-  
dido volatu coelos penetravit, hic requiescat virgineum cor-  
pus. Ecce, patet tibi tumulus meus. Veni! o soror mea, co-  
lumba mea, veni! Quos unus amor per totam vitam coniun-  
xit, nec tumulus seiungat!

### CHORUS ANGELICUS

Emicat meridies,  
Et beata requies  
Virginis Scholasticae.  
Intrat in cubicula,  
Sponsi petit oscula,  
Quem amavit unice.  
Quantis cum gemitibus,  
Cordis et ardoris  
Haec dilectum quaesiit!

### S. BENEDICTUS

Movit coelos lacrimis,  
Imbrisque plurimis,  
Pectus fratris molliit.

CHORUS MONACHORUM

O grata colloquia,  
Cum coelorum gaudia  
Benedictus explicat.

S. BENEDICTUS

Ardent desideria,  
Mentis et suspiria,  
• Virgo sponsus excitat.

ANGELI

Veni formosissima,  
Sponsa dilectissima,  
Veni, coronaberis.

CHORUS

Dormies in liliis,  
Afflues deliciis  
Et inebriaberis.

S. BENEDICTUS

O columba Virginum,  
Quae de ripis fluminum  
Adis aulam gloriae.

CHORUS

Trahe nos odoribus,  
Pasce et uberibus  
Immortalis gratiae. Amen.

## ACTUS III

---

### SCENA I.

*S. Benedictus in cella sua lethali decumbens morbo, circumstantes discipulos ita alloquitur:*

Filioli, iam propinquam sentio horam, qua, mortali deposita sarcina, anima mea obviam incedat Christo, in quem fideliter credidit, cui spem unice commisit, cuius amore iam diu languescit. Sinite magistrum et patrem ultima ad vos dirigere verba: Charitatis fraternitatem caste impendite; amore Deum timete; Abbatem vestrum sincera et humili caritate diligite; Christo omnino nihil praeponite, qui nos pariter ad vitam aeternam perducat. Amen.

OMNES

Amen!

MONACHI

Cur nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis?

S. BENEDICTUS

Non vos relinquam orphanos, manebo apud vos. In hoc cognoscant omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

## MONACHI

In hoc cognoscant omnes quia discipuli tui sumus, quod dilectionem habeamus ad invicem.

## S. BENEDICTUS

Pacem meam do vobis. Pax Christi vobiscum !

(*Hic auditur campanulae signum operis Dei horam pulsans.*)

Eia, fratres, nihil operi Dei praeponatur. Beatus, qui inter psalmos coram altari exalat animam! Deferte me, quaeso, in oratorium, ut, dum iam vox defecerit, vester mihi supplet chorus et Dominico Sacramento munitus ad suspiratam patriam, divina clementia fretus, feliciter possim transire.

*Dum Venerabilem Patrem viciniores brachiis sustentant ac prope baiulant, omnes pergunt ad oratorium intonantes psalmum :*

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati ; etc.

## SCENA II

*Coram altari S. Benedictus filiorum brachiis erectus, ter, uti  
in professionis monasticae ritu, debili voce cantat:*

Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum et vivam;  
et non confundas me ab expectatione mea.

*Cui respondet Chorus.*

Suscipe me, etc.

*(Vix tertia vice completa invocatione, S. Benedictus beatam  
efflat animam.)*

SACERDOS qui sacrum complevit:

Ecce, quomodo moritur iustus!

*Angeli ultimo verbo adnectunt versum:*

Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur:  
plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

### QUIDAM E CHORO

Recessit pastor noster, fons aquae vivae; montes et colles  
deseruit, gregem dereliquit; recessit pastor noster! Quare  
abierunt sancti et iusti? Pater noster post dilectam sororem  
abiit. Frater et soror, amabiles et decori valde in vita sua,  
in morte quoque non sunt divisi.

### SCENA III.

(*Cernuntur duo monachi, qui luminosam viam  
e cella S. Benedicti egredientem mirantur.*)

ANGELUS ad illos

Haec est via, qua dilectus Domini Benedictus coelum  
ascendit.

*Angeli et chorus alternis vocibus :*

ANGELI

Laeta quies magni ducis,  
Dona ferens novae lucis  
Hodie recolitur.

CHORUS

Charis datur piae menti  
Corde sonet in ardenti  
Quidquid foris promittur.

ANGELI

Hunc per callem orientis  
Admiremur ascendentis  
Patriarchae speciem,

CHORUS

Ipse memor suae gentis,  
Nos perducat in manentis.  
Semper Christi gaudia. Amen.

## GLORIFICATIO

### S. BENEDICTI ET S. SCHOLASTICAE

---

*(Scena reprezentat altare hypogei, circumdataum choro monachorum et angelorum laudes S. Benedicti et S. Scholasticae certatim canentium.)*

#### HYMNUS FINALIS.

Exultent Benedicti agmina!  
Scholasticae resonent carmina!  
Amborum celebrent certamina  
Laetis choris!  
Exaltet Patriarchae merita  
Et germanae sororis inclyta  
Tantis exemplis non deterrita  
Pia proles!  
Beatus, qui sprevit de'icias  
Carnis et saeculi laetitias,  
Trucesque daemonum insidias  
Superavit!  
Beata, quae sub blandae specie  
Columbae pura mentis acie  
Coelum petit, ut clara facie  
Deum cernat!

O vere mystica commercia!  
O sacra suprema colloquia!  
Quae fletu soror mortis praesca  
Protractavit!

O mentes plenae Dei laudibus,  
Ignarae vitiorum fraudibus!  
O corda fervidis ardoribus  
Deo sacra!

O Benedicte cum Scholastica,  
Da lege qui certant monastica.  
Victores penetrare coelica  
Christi regna.

In claustris schola serva stabiles,  
Conversione morum flebiles,  
Parendi zelo redde humiles,  
Pace mites.

Hac die qua vestris exuvias  
Novum donis fulgens eximiis  
Dicatur ritibus et gaudiis  
Hypogeum,

Praebete piis aurem vocibus,  
Benigne de supernis sedibus  
Iuvamen conferte supplicibus  
Et salutem!

U. I. O. G. D.

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P A. Magister.

---

IMPRIMATUR

FRANCISCUS Can. FABERI Vicarius Urbis Adsessor.